
The background of the image is a marbled paper pattern, characterized by intricate, swirling veins of brown, yellow, and green against a darker brown base. The design is organic and fluid, typical of hand-marbled techniques.

46



DISPUTATIO PHILOSOPHICA

INAUGURALIS, D. I. H. A. M. T. T. D. S. 2. 2. T. T. D.

D E

C O E L O.

Q U A M

DEO JUVANTE

Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris

D. JACOBI GOLII, L. A. M. Mathe-

seos & Arabicæ linguæ in Almâ Lugd. Batav.

Academiâ Professoris celeberrimi,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academici consensu, & venerande

PHILOSOPHICÆ Facultatis decreto,

Pro Liberal. Artium Magisterio & Philosophiae Doctoratu,

Publicae disquisitioni subjicit,

ALARDVS DE RAEDT, Amstelodamensis.

Ad diem 28 Septembris, loco horisque solitus, ante merid.



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Typographia SEVERINI MATTHIAE,

C I C I C I

Clarissimo & undequaque versatissimo Viro,

D. JOHANNI HOORNBEEK, S.S. Theol.
Doctori, ejusque facultatis in illustri Acad. Lugd. Bat.
Professori, Antiquitatum historiarumque callentissimo,
verbi divini præconi vigilantissimo, studiorum meorum
fautoris summo, promotori venerando:

N E C N O N ,

Prudentissimus, virtute & dignitate conspicuus Viris,

D. ANTONIO VERSPREET,

D. JOHANNI ELYSON,

D. JOHANNI SNEL,

D. ABRAHAMO de SADELER,

D. SERVATIO AUXBREBIS,

D. ABRAHAMO van FRIESSEM,

D. JOHANNI POLLIO,

Mercatoribus apud Amstelodamenses non è multis,
Orthodoxæ veritatis propugnatoribus indefessis,
Amicis honorandis:

In perpetuam observantiae & gratitudinis
tesseram.

*Hacce Philosophicas & Theologicas theses
Inaugurales*

Debitâ cum submissione offero

ALARDUS DE RAEDT,

Auth. & Respond.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA INAUGURALIS.

D E

C O E L O.

THESIS I.

Citissimè Ovidius:

*Felices animæ quibus hæc cognoscere primis,
Inque domos superum scandere cura fuit.*



Oculos ergo mentemque sursum elevemus, lustremusque stupenda, quæ suprema mundi pars contemplanda objicit.

II. Quid autem? non animus est per omnia vagari, selecta sectabor, nil ultra. Verum aures mihi vellit Seneca. si intramus, infit, templa compositi, si in omne argumentum modestia fingimur, quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de Deorum naturâ disputamus, ne quid temerè, ne quid impudenter, aut, ignorantes affirmemus aut scientes mentiamur. A page cum reverentiâ erga sidera & stellas; reliqua mentilubens infigo, adeoque extemplo calamum currentem intra hos cancellos cohibeo.

III. Ab omni ævo quæstio de Cœli materiâ philosophorum ingenia exercuit. Audias tamen vulgo satis asseveranter eam definire quintam essentiam, sive substantiam nihil commune cum elementis habentem. Vnde hoc? Aristotelem excogitasse fama est. Hæc leguntur in libro de mundo. πέρι τοῦ συγχειτοῦ τοῦτο εἰ πέρι τοῦ χωρειοῦ σφαιρικῶς ἐγκείμενα, οὐτε χούμενα διὰ τῆς ἀπόστολος τῷ μεταφ. λέξει δὲ γῆς μὲν εἰ ὑδατική, ὑδατοῦ εἰ δίαι, αἱρετοῦ εἰ πνεύματος δὲ εἰ αἰθέρια, τὸν κόσμον δὲν οὐκετίσαστε. Αἰθέρα verò in eodem libro vocat τὸν αἰθέρειον καὶ δίαι φύσιν.

IV. Exadverso Plato in Timæo. ὅποι τοῦτος αἴρει, τοῦτο δέξει πάσις ὑδωρ καὶ πάντης ὑδωρ τοῦτο δὲν ὑδωρ πάσις γινεται ξυνέδιπον καὶ οὐκετίσαστε δέξει πάντοις. Cum eo facit Cicero, aliisque.

V. Quis tantorum virorum litem componat! si numero res definiatur Plato præponderabit; nam teste Schotano, universa vetustas & theologorum & physicorum τὸ πᾶν ex quatuor elementis competenterunt. si argumenta quæras forsitan Aristoteles solus iis instructus in aciem prodit. Verum si quis ipsi negaverit circularem motum soli cœlo

competere, omnia tela in cassum torquet. Si consulas ejus sequaces, id responsi referes. In cœlo materia & forma non sunt res realiter sed ratione tantum distingue: est enim corpus simplex, quod ratione alia dicitur forma, alia ratione materia. sit autem hoc & distinguitur ab aliis per proprium actum, proinde quatenus est forma, non quatenus est materia; & est forma materiæ mixta, quatenus existit cum utrumque conditione tum formæ tum materiæ. Ita Zabarella.

VI. Confundor, nescit mens ubi pedem figat. Ingenuè magnus Scaliger: dicunt, ait, quemadmodum est forma quædam materialis, quæ in primâ est materia, atque idcirco vix forma est, formam intelligent corporis: ita est materia quædam, quæ vix materia est. Ea est materia cœli quapropter hanc materiam formalem vocant. Nam non convenire pergunt bene institutæ civitati, ut idem sit vehiculum Principis & cordonis; hinc concludunt, quisi fieri possit ut eadem sit materia, quæ cœli gerat formam & quæ gerat formam scarabæi. Piget plura ejus furfuris deliramenta illic allegata recensere. Ingenuè, inquam, ille ad hæc: audio verba equidem, quod pectus exaturet audire aveo. at nihil audio. Tandem claudit. Nolo illis negotium facessere intelligendo: nolo illi mibi faciant non intelligendo.

VII. Dices: quid ergo determinandum? arduum est. nihilominus affero cœlum ex eadem materiâ constare cum inferioribus. Non agnosco enim aliam quam extensam; hanc autem extensionem in omnibus corporibus offendo, hanc non potest mens mea ab ullo corpore separare nec corpus absque hac percipere, adeoque animadverto conceptum corporis cuiuscunque involvere extensionem.

VIII. Haec tenus bene. sed quid. materiam cœlo fluidam tribuan solidam? ad hoc philosophorum corophæi assurgunt *Plato* & *Aristoteles*, adversus Astronomorum Chorum soliditatem cœli stabilientes. Quam allegant causam? ajunt se nunquam advertisse in cœlo novum quid generatum esse vel vetus quid interisse.

IX. Libet hæc altius repetere, quoniam ex hoc fonte pleræque proprietates cœli derivantur. *Schotanus* testatur, quod *Hermes* pater physicorum & græcæ philosophiæ eam soliditatem primus assuerit. quis & qualis ille fuerit idem longâ narratione ostendit. Ei vero omnes Astronomi & Astrologi manibus pedibusque se opposuerunt; cum quibus & *Plinius* facit, qui contra provocant ad observations & oculare testimonium. quis partes conciliet? Animosè Zabarella. Necessarium est cœlesti corpus solidum esse totum, & inferioribus corporibus minimè

minimè cedens, nam si cederet pateretur, quod dicendum non est; quoniam ergo non est aptum cedere ulli pressioni, solidum est & idoneum ad subiecta corpora dissipanda suo motu. Tricæ.

X. Summi viri non miror vestram ignorantiam. non licuit vobis telescopio cœlum inspicere. Si enim datum fuisset observare maculas in sole Asiam sèpius excedentes integrum nunc orientes nunc occidentes, nunc apparere nunc disparere, nunc produci nunc interire nunc accrescere nunc decrescere, nunc in omnes se vertere figuræ non minus in medio disco solari quam ad confinia; procul dubio pro vestrâ ingenuitate sententiam vestram valere jussam in Astronomorum castra transiissetis; nihil enim vos movisse ipsi testes estis, præterquam quod hujusmodi quid observare non contigerit. Quod hæc autem ita se habeant testantur omnes oculi tubo solem inspicientes.

XI. Si pergas hæc omnia vocare minutias, sint minutæ: valeant ergo tam vastæ minutæ. Aliud subsidium longè luculentius ad manum est. Integræ stellæ de novo oriuntur, adaugentur, imminuntur, nunc vividiore faculâ scintillant, nunc obtusioram faciem visu ferè præripiunt, nunc exilitate oculos effugiunt.

XII. Negas? Plinius te retundit. hæc ipsius verba sunt. *Hipparchus nunquam satis laudatus novam stellam, & aliam suo ævo genitam reprehendit, ejusque motu, quo die fulsis est adductus ad dubitationem annè hoc sèpius fieret. Ut autem nullus in posterum dubitaret de ortu novarum stellarum omnes stellas numeravit. Anno 1572. nova apparuit in Cassiopeâ, quæ terræ per annum integrum affulxit. Anno 1600. in Cygno alia orta quæ etiamnum eundem locum obtinet. alias omitto.*

XIII. Forsan eâ impudentiâ quidam erunt, qui eam novam esse audacter negabunt. scilicet hoc compendium est argumenta refutandi. Verùm qua fronte hæc excusari possint non video. cùm enim Hipparchus ejus non meminit (loquor de stella in Cygno ortâ) neque Tycho (qui citra controversiam nulli secundus erat in observationibus accuratè instituendis, utpote qui 200. stellis à veteribus omissis catalogum adauxit) quis sine profundâ suâ stupiditate in rebus mathematicis palam faciendo advorsum hiscere auderet?

XIV. Noli tamen mirari quorundam hîc summam pertinaciam. Claramontio hæc adscribenda sunt. ille enim unicus (si Galilæo fides) est, qui cœli inalterabilitatis (quod fundamentum ipsi est soliditatis) adversus universum mathematicorum chorum, patrocinium suscipit. Audacter ergo omnes has novas stellas de cœlo deturbat. Inunc cum

Hercule qui solum terrestria monstra & Cerberum domuit. Hic pygmæus prodit , cui unico iectu integras stellas per inexhaustum & immane spatum deorsum adigere ludus est. Sed seriò. Pernegat has stellas in cœlo apparuisse, imò hoc confidere ipse intendit ex ipsorum calculo, qui eas inter fixas collocant ; verùm non ultra conari assurgit hæc machinatio: quod facile demonstrari posset , si hujus esset loci. consule Galilæum aliosque qui ex professo ejus ineptias retundunt. quid de ejus calculo judicandum sit, facile subsumi potest, ex ejus refutandi methodo. Quoniam videbat nihil se ad maculas solares debellandas ad manum habere; his verò admisisse actum esse cum inalterabilitate cœli, ac proinde ejus etiam soliditate; consueto compendio negat & pernegat has maculas in sole existere ; dictat nihil aliud esse quā crystalli lusus : O stupenda inventio ad argumenta quævis si non decidenda incidenda ! Sed ne videar studio eum adoriri , audi Galilæum , aliosque meum suffragium confirmantes : futuros,inquit,ille perpaucos idoneos judges & vix centesimum quemque respectu illorum qui authorem(Claramontium intellige)celebrabunt & extollent supra omnes scientissimos: quid autem quatuor vel sex per provinciam inventi, qui levitates ipsius animadvertisunt, præstare possent adversus innumerabiles, qui cum inepti sint ad illas percipiendas , primâ statim denuntiatione se dedunt, ac tanto magis illis applaudunt, quantò minus rem intelligunt. Adde quod etiam illi pauculi, qui rem intelligunt absterreantur à respondendo ad scriptam abjecta & pondere cassa ; idque non sine magna ratione : siquidem pro intelligentibus responsio non est necessaria , pro non intelligentibus autem oleum & operam perdideris.

XV. Nec minus acriter Kepplerus. Postquam enim ostenderat Tychonem per paralaxin deprehendisse stellam anni 1572. inter fixas hædere ita insurgit. Loquentur suā fide observationes. Divino monitu Tycho sic eas munitivit instrumentorum varietate , vicium repetitione, diērum continuatione, copiā denique ipsā . ut locus calumniis bujusmodi relinquitur nullus , fidemque illæ apud posteritatem mereantur omni humana majorem : inde ad Claram. converfus : Dii tibi dent, quicquid solidā virtute mereris uti tute teipsum vivis depinxisti coloribus in hac Tychoni tributa persona , nec potuisset Apelles melius , nec totus reliquus liber tuus, quamvis undequaque plenus bujus tui ingenii. Dignum est Hercle caput hoc , quod non calamo mathematici , sed duello refutetur more veteri Germanico. His adstipulatur Gassendus : qui hæc inter cætera: Dicerem aliquid de illis, qui voluere etiam Tychonis observationibus detractum, ut

Clara-

Claramontius : verum & res ipsa loquitur, & tam Kepplerus, quam Galileus nobis abunde prælaborarunt, qui etiam illum notat, quod observatio-nes interdum aut ad rationes accommodat suas, aut instituto suo repugnan-tes falsitatis nomine traducat.

XVI. Mathematicis subscribo : quis enim ingenuus manus non daret quando tantorum virorum observationibus, rationibus, propriisque sensibus ad illud amplectendum adigatur? *Hinc Jonstonus, Casmannus, Wendelinus* aliquique nihil præsidii pro soliditate cœli reliquum cernentes ejus patronorum castra incunctanter deseruerunt. Quid opus est plura argumenta in re adeò manifestâ accumulare? parum enim abest quin mathematicis solidi soliditatis anti-stites magis deplorandi quam debellandi videantur.

XVII. Gaudeant ergo & cristas tollant Claramontii admiratores; credant & vociferentur eum à mathematicis ampla spolia reportasse, si simplex victoria non sufficiat : ego cæterique quotquot justâ bilan- ce argumenta ponderamus, gaudemus quod indicio proprio ut forex se prodidit, quodque Heroi isti bella movens eminus solummodo lanceam adversus eum vibravit

*Telumque imbelli sine iclu
Conjecit : rauco quod protinus ære repulsum
Et summo clypei nequicquam umbone peperdit.*

XVIII. Valeat ergo Claramontius. ruit soliditas cœli antistite-deficiente. at novi quid oboritur, Cœli fluiditate assertâ fortasse non contemnendum. Philosophus describit fluidum, quod difficulter suis facile autem alienis terminis continetur. Arrigite aures. Tycho novam stellam inter fixas deprehendit. quid sequitur, ergo, vah! ex-ciderat supra stellarum orbem cœlum duplex esse crystallinum, alio-quin conclusissim cœlum non habere quoad figuram terminos. Rides? non sic causâ cado. dicam quid in aurem. numerus orbium nondum definitus est. *Jonstonum audi. Eudoxo placuere 23. Calippo 30. Aristoteli. 47. Ptolomæo 31. Regiomontano 33.* 10 esse com-munis est opinio. *Philolaus narrat veteres 8.* orbes non plures agno-visse; unde ergo tantopere numerus excrevit? Pergit. *Alii alios adje-
runt naturâ quidem non parturiente, verum phantasiam quorundam fœtum
hunc edere gestiente.* atque adeò multi tam liberales sunt, quod singulis cometis alium de novo circulum fabricent. Papæ! Novus desideratur Hercules qui Atlanti & Herculi in orbibus sustinendis suppetias ferat!

XIX. Sed è diverticulo in viam. ajo figuram ignotam esse. Philo-sophius

sophus κυκλοπειαν & alibi Κραιεγη vocat. Empedocles ovalem cœlo tribuit. alii aliam: quare Κραιεγη credam? Est capacissima ajunt omnium figurarum. demonstrant isoperimetri. Assentior. At verò circa omnem sphærā circumponi potest alia capacior cuiuscunq; generis. quod notum. Et quid, Deumne concipiēmus adeò accuratè quasi calculum instituisse ut cœlum capacissimæ figuræ accommodaverit? Nunquid autem motus hoc adstruit? quis ostendit supra orbēs mobiles alium tractū non reperiri, qui vel immobilis sit vel diverfo ab orbium motu cīcatur. Nempe pulcherrima est inter omnes figurās. Dicunt. gemmarum politores ex adverso clamant. Et quis nescit eas eò majoris aestimari, quò accuratiū angulis variegatae sint? Narratur de Anaximene quod ob allatas rationes cœlum sphæricæ figuræ esse asseruerit, & quid hinc. somniavit Deum etiam figuræ esse rotundæ.

XX. Quos ergo magnitudinis terminos cœlo assignabimus? hæreo. nam cum de figura cœli non constat, quo fundamento ejus magnitudo adstruetur? Verùm oportet magnitudinis terminos habere aliquin infinitum est. non nego habere terminos, confundor autem si hos velim assignare. dices ego, quorsum hæc? nempe nt indicarem incerta esse, quæ audacter pro certis venditantur. Apage ergo cum sciolis. Domicili proprii quantitas & figura nos latēt! quis hīc non exclamat cūm poëtā

O cœcas hominum mentes ò pectora cœca!

Sed manum de tabulâ. finio cum Lactantio. Sic ille. Idē terrenum animal rerum cœlestium perfectionem non capit, quia corpore, quasi custodia septum tenetur, quo minus soluto & libero sensu cernat omnia. Dum ergo terræ adhuc incolæ sumus, recordemur illius Senecæ:

Ne miremur tam tardè erui quæ tam altè jacent.

C O R O L L A R I A.

1. Quantitas entitativa est purum putum pigmentum.
2. Non possunt assignari plures dimensiones tribus.
3. Existens nec duratio sunt affectiones enīs ut unitas veritas bonitas.
4. Non datur summum malum ut datur summum bonum.
5. Qui spiritibus materiam intelligibilem trahunt negant esse spiritus.
6. Decreta in Deo non inferunt realē compositionem.
7. Corpus non potest esse duobus locis simul.
8. Propria non possunt separari à subjecto.
9. Sibi ipsi violenti injicere manus arguit de seatum fortitudinis.
10. Qui tantum spe lucri aut prada in bello se vites prastant non sunt verè fortis.
11. Luna est corpus scabrum.
12. Terra sole illustrata luna splendore non cedit.
13. Lumen luna subobscurum est ab hamisphario terra illuminato.
14. Dantur montes lunares.
15. Stellarum quantitas nondum accurate definita est.

F I N I S.

